manuscript

Seite 126r

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8391
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

·B·

insuper obiurganti indignetur
more frenetici manum medici
repellentis. Mira perversitas
medicanti irascitur, qui non ira
scitur sagittanti. Est enim qui sa
gittat in obscuro rectos corde, quem
et te ipsum nunc sagittavit ad mor
tem, et in illum non commove
ris. Michi indignaris, quem sanum
te fieri cupio. Irascimini inquit
et nolite peccare. Si peccato irasce
ris non solum minime peccas
sed et quod peccaveras exterminas.
Nunc vero et peccatum retinens
medicamentum respuendo, et pecca
ta apponis peccatorum irascendo.
et est supra modum peccans peccatum
Aliquotiens additur et impude
ntia, ut non modo impatienter
ferat quod concepit, sed etiam id
in quo reprehenditur impudenter
defendat. Hoc plane desperatio
frons inquit mulieris meretricis
facta est tibi, noluisti erubescere.
Et aut recessit zelus meus a te,
ultra non irascar tibi. Volo au
ditu contremiscere. Sentis ne quan
ti periculi quantique horroris et tre
moris res sit peccati defensio. Et
iterum: Ego quos amo arguo
et castigo. Si ergo zelus te de
seruit et amor, nec eris amore
dignus, qui indignus castigati
one censeris. Vides quia tunc
magis irascitur deus, et cum non

·r·

irascitur. Misericordiam inquit im
pio et non discet facere iustitiam.
Misericordiam hanc ego nolo.
Super omnem iram miseratio ista,
repellens in vias iustitie. Beatus
profecto iuxta prophete consilium
apprehendere disciplinam, nequando
irascatur dominus et pereamus de via
iusta. Volo irascaris michi pater
misericordiarum, sed illa ira qua corri
gis devium, non qua extrudis
de via. Illud nobis tua benigna
animadversio parit, hoc forsan
dolosa nutrit dissimulatio. Non
cum nescio vel estimo, sed cum
sentio te iratum, tunc magis
confido propitium. Item: Tu ira
tus fueris mei recordaberis. Deus
inquit tu propitius fuisti eis, et
ulciscens in omnes adinven
tiones eorum. Moysen loquitur et
Aaron atque ad Samuelem quos
iam premiserat, et hoc vocat
propitiationem quod deus eorum non
pepercit excessibus. Non tu ergo
hanc tibi excludito in eternum
defendendo errorem et accusan
do correptionem. Enim non istud
est dicere malum bonum et bo
num malum? Enim non ex hac
odiosa impudentia pullulabis
mox impenitentia mater desperationis?
Cui enim peniteat sub bono
quod putat? Ve illis inquit
qui dicunt istud eternum est. Aliud est